



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Vniversis Tam Ecclesiasticis quàm secularibus Principibus Alamanniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

# De negotio imperij

727

PRÆNESTINO EPISCOPO  
apostolica sedis Legato.

Epist. 84.

**R**Ecepimus litteras quas tua nobis fraternitas destinayit benignitate qua decuit, & diligenter notauius quae per eas apostolicis auribus intimasti. Gaudemus autem & fraternitatem tuam in Domino commendamus quod intergentes prius incognitus & populos lingue quam non noveras constitutus, talem te studebam in verbis quamq[ue] actibus exhibere ut videntes opera tua bona glorificent patrem nostrum, à quo est omne datum optimum & donum omnino perfectum, & nobis in actionibus gratiarum assurgent quod angelum pacis ad eos duximus destinandum. Vnde, post eum qui dirigit gressus nostros, tuae non modicum adscribimus probitati quod in tantum per Dei gratiam in manibus tuis negotium est imperij prosperatum, cum opere pariter & sermone carissimo in Christo filio nolle illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo favorem comparavitis plurimorum, apud quos & loquebatur lingua prudenter & sufficienter perorabat honestas. Gaudemus etiam quod eti neccesitates nimias patiaris, quia tamen abundare secundum Apostolum & penuriam pati novisti, nolueristi cuiquam esse oneri, sed paucis contentus existens, paupertate quasi divitias reputasti. Nos autem fraternitati tuae providere, volentes venerabiles fratres nostros Episcopos & Canonicos Metenses & Cameracenses & universos Prelatos in Metensi & Cameracensi dioecesis constitutos per nostras litteras increpanus super eo quod tibi, licet absenti, noluerunt in procurationibus subvenire; quibus etiam districte præcipimus ut five ad ipsos acesceris, five alias fueris commoratus, procurationum subsidia ita liberaliter tibi studeant exhibere quod subfrequens liberalitas culpam redimat præcedentem. Alioquin sententiam quam in eos duxeris profrendam raram nos scribimus habituros & facturos inviolabilitatem observari. Generales etiam litteras super procurationibus exigendis tibi transmittimus; quas sine simili terminamus, legationis tuae litteris innovatis. Scribimus etiam carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Danorum ut cum confederationis inter eum & predictum Regem Ottone initæ mediator & confirmator exiteris, si propter hanc vel aliam causam te ad præsentiam ejus operuerit proficii, sicut Legatum apostolica sedis te benignè recipiat & honorifice studeat pertractare, consilii tuis & monitis acquiescens. Similes quoque litteras, immo efficaciores etiam venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis per Theutoniam constitutis, sicut videre poteris, destinamus. Contra Trevirensem autem scribimus venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis per Theutoniam constitutis ut singulis diebus dominicis & festis, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatum eum publicè nuncient, & per dioeceses suas sub solemnitate faciant similiter nuntiari; ex parte nostra de-nuntiantes eidem quod nisi post denuntiationem eorum infra sex menses ad mandatum nostrum

redierit humiliter & devotè, ac, sicut juramento tenetur, super factō imperij nostrae satisfecerit voluntati, ex tunc convocato convictionum Epicoporum Concilio de consilio fratum nostrum depositionis in eum sententiam proferemus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus non deficias, sed proficias potius, & ad promotionem negotij quod tuæ discretioni commisimus exequendum sicut haec tenus, immo fortius quam haec tenus, sicut de tua devotione speramus, intendas; quoniam, prout credimus, in brevi terminabitur labor tuus ad exaltationem sedis apostolicae, augmentum imperij, & tuæ fraternitatis honorem. Datum Larerani vi. Kal. Martij, anno sexto.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS  
quam secularibus Principibus Alamania.

Epist. 85.

**C**VM Ecclesia Romana supra firmam petram à Christo sit petra fundata, sicut ipse testatur ad Petrum, super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, non est de iphus instabilitate temerè presumendum, quæ super ipso summo angulari lapide Christo Iesu adificata, constans & immobilis perseverat. Cùm enim fundamentum ejus possum sit præter quod aliud ponni non potest, quod est Christus Iesus, & liquefacta terra, & omnibus habitantibus in eadem, ipsius columnas Dominus confirmarit, nec fulminum impetus, nec impulsus ventorum, nec pluviatum formidabit insultus; quoniam in illo est stabilitate perpetua solidata quem Iordanis conversus retroflum expavit, qui impetrat ventis & mari, & pluviis ponit legem. Ipsa est etenim dominus illa de qua Dominus in evangelio protestatur: *Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt rident, & irruerunt in dominum illam, nec cecidit fundata enim erat supra petram.* Absit igitur ab ea nota cujuslibet levitatis, absit ut leviter revocet quod mature disponit, absit ut in se ipsa infirma sit & vacillet, quæ, si avorum fluctuant instituta, illa, cùm expedit, concessa sibi cælum auctoritate confirmat. Petro enim & successoribus ejus principaliter intelligitur à Domino esse dictum: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficit fides tua; sed tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Non igitur deficit fides Petri, vel apostolica sedis auctoritas vacillabit; quoniam is qui se asserit orasse pro ea, in omnibus est pro sui reverentia, sicut testatur Apostolus, exauditus; qui licet corporalibus substractis aspectibus in celum ascenderit sedens ad dexteram Dei patris, Ecclesiam tamen orphanam non reliquit, quam potenter protegit, & præstantialiter ipsam custodit. Nam ipsemet Apostolis reprobavit, *Ecce, inquiens, ego vobisum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* De hujus ergo protectione secura & præfertata dum habet immo quoniam habet Dominum adjutorem, non timerit quid faciat sibi homo, sciens quod portæ inferi adversus eam non poterunt prevalere, nec alias solvere quos ipsa ligavit vel ligare quos solverit tradita sibi à Domino potestate. Credi ergo non debet quod in se ipsa discors

Z Z z z iij

existat, cùm eam sibi elegit Dominus non habentem maculam neque rugam. Hæc est enim tunica inconsutilis desuper contexta per totum, quæ divisa non fuit etiam tempore passionis. Hæc est una columba, de qua legitur in canticis canticorum: *Vna est columba mea, perfecta mea; una est matris sua, electa genitrici sua.* Hæc est unum ovile, de quo Dominus in evangelio protestatur: *Fiet unum ovile & unus pastor.* Licet enim aliquando quidam conati sint illam dividere, ipsam tamen potius purgaverunt, cùm recedentibus tenebris, lucida tota remanserit non habens partem aliquam tenebrarum, de quibus Iohannes Apostolus ait: *A nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis.* Miramus ergo non modicum & movemur quod pestilentes quidam filii tenebrarum, satanæ discipuli, prænuntij Antichristi, nobis & Ecclesiæ Romanæ notam volunt impingere levitatis, tamquam quod cum multa gravitate statuimus velimus leviter revocare. Nec hoc solo contenti, moliuntur innuerre, licet frustra, quod inter nos & fratres nostros zelus sit & contentio, nec sapiamus idem, sed in emulatione & contentione ad ea quæ statuimus procedamus; cùm tantus potius per Dei gratiam vigeat inter nos caritatis affectus & tam insolubile maneat vinculum unitatis ut sit nobis cor unum & anima una, secundum psalmistam, ambulantibus in domo Domini cum consensu. Ipsi autem volentes auctoritati sedis apostolicæ derogare ac in dubium revocare quod fecimus, tam super imperij Romani negotio contra carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottomem in Romanorum Imperatorem electum quam super factò Ecclesiæ Maguntinae adversus venerabilem fratrem nostrum Siffridum Archiepiscopum Maguntinum falsas præsumperunt litteras exhibere, volentes quoddam ex fratribus nostris à nobis discordes ostendere, ac sic animos vestros à consiliis nostris & monitis revocare. Verum mentita est iniquitas sibi, quia prævalere non potuit veritati figuratum, cùm litterarum falsitas manifesta sit rectè intuentibus per se ipsam, cùm nec littera quæ tamquam sub nomine nostro missæ fuerint Pataviensi, Frisingensi, & Eistensti Episcopis præsentata, Ecclesiæ Romanæ stylum redoleant, nec illæ quæ dicuntur à quibusdam nostris fratribus destinatae fratum nostrorum sapient gravitatem; immo tanta sit inconcinnitas in utrifice ut nullus sana mensis de ipsis debuerit dubitare. Vnde culpabiles se ostendunt qui earum procedere occasione præsumunt. Cùm ergo nec super imperij Romani negotio nec super factò Ecclesiæ Maguntinæ à nostro velimus proposito declinare, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus quantum super utroque consiliis nostris & monitis intendatis; scituri pro certo quod non intendimus ad depressionem imperij, sicut mendaces aliqui mentiuntur, sed ad exaltationem ipsius propensiùs aspiramus. Datum Laterani Non. Aprilis.



LITTERÆ CARDINALIVM AD  
universos tam ecclesiasticos quam seculares  
Principes Alamannia.

Epist. 86.

**T**am super imperij Romani scissura quam super Ecclesiæ Maguntinae discordia pio compassions affectu dolemus, affectantes utriusque nobiscum & honorem. Cùm autem & Dominus Papa nobiscum & nos cum ipso sumus per Dei gratiam unanimis & concordes, quotam ipse nos tamquam fratres & filios diligis & honorat, & nos cum tamquam patrem & dominum reveremur & veneramur, mirari cogimus & moveri quod quidam homines pestilentes, illius utique filii qui ab initio mendax fuit & in veritate non fiet, sub nomine ipsius Domini Pape ac quorundam ex nobis tam super imperij Romani negotio contra illustrem Regem Ottomem in Romanorum Imperatorem electum quam Ecclesiæ Maguntinae contra venerabilem fratrem nostrum Siffridum Archiepiscopum Maguntinum falsas præsumperant litteras exhibere, volentes super utroque negotio nos discordes ostendere, ut possent auctoritati sedis apostolicæ derogare. Quia verò Dominus Romanam Ecclesiæ super firmam pertam stabili soliditate fundavit, cuius idem ipse fundamentum est & fundator, frustra quis existimat ut ab iis que etiam multa disponit maturitate consiliij profana facilitate recedat, præsertim hoc tempore quo, quantum hominibus est concordium, non impetu voluntatis effetur, sed motu dirigitur rationis. Ideoque reprehensibiles convincuntur qui litteris falsis utentes, apostolicum moliuntur impide statuum; præterim cùm hujummodi litteræ tam manifestam exprimant falsitatem ut nemo sana mensis super iis debuerit dubitare. Universitatem itaque vestram rogamus attentiū & monemus quatenus tam de Domino nostro summo Pontifice quam nobis ipsius nihil velitis suspicari huius, nec credatis immisionibus quæ sunt per angelos malos; sed falsoib[us] Ecclesiæ Romane consiliis intendatis, quæ non ad depressionem imperij, sed ejus exaltationem intendit. Licet autem aliqui nostrum pro diversis Ecclesiæ necessitatibus sit absentes, quia tamen unum & idem eos novimus sentire nobiscum, has litteras cum sigillo omnium qui apud ledem apostolicam praesentes existimus sub universitatis nomine destinamus.

ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,  
Reitoribus, Potestatibus, Consulibus, Marchionibus,  
Comitibus, & aliis nobilibus Lombardia.

Epist. 87.

**I**ntra activæ vitæ sollicitudines, quibus cum Martha jugiter occupamur, cura plurima sagientes, duo sunt quæ præcipua reputamus, urypte quæ angunt amplius mentem nostram, & familiariter tangunt Ecclesiam generalem, videlicet imperij Romani divisio, & necessitas terræ sanctæ. Vnde tantò super iis nobis est consultiū procedendum quanto majori egent gravitate consilij & ad plurium utilitatem pertinent si sollicite procurentur, & si fuerint negligenter omissa, redundant in plurium laesioinem. Licet igitur utrumque sic respiciat Romanam Ecclesiam ut totum tangat populum Christianum, quia tamen imperij Romani negotiorum specialiter ad statum pertinet. Lombardia, per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Papensem, & Placentinum Episcopos, qui nobis nullo mediante subjecti vineculo sunt fidelitatis astriti, consilium & auxilium vestrum duximus requirendum. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiū, & per apostolica vobis scriptra mandamus quatenus cùm ab eisdem Episcopis fueritis evocati, ad eorum præsentiam accedentes, consilium & auxilium vestrum super prædictis articulis eis & nobis per eos fideleriter exponatis; scituri pro certo quod cùm opportunum videatur tempus adesse, non parcemus laboribus nec expensis